

**Disputatio medica inauguralis qua de primaria omnium fere morborum
causa / [Johann Philipp Stetter].**

Contributors

Stetter, Johann Philipp.
Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704.
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

[Heidelberg?] : [S. Ammon?], [1686]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c4ancbqx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
QUA DE
PRIMARIA OMNIUM
FERE MORBORVM
CAVSA.

DECRETO ET AUTHORITYTE
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIQUA ET ILLUSTRISSIMA
HEIDELBERGENSI
SUB PRÆSIDIO
MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI ATQVE
EXPERIENTISSIMI

DN. GEORGI FRANCI,
MED. ET PHIL. D. PP. VNIVERSIT.
PRO CANCELL. FACVLT. MED. SENIORIS ATQVE
DECANI, DN. ELECT. TREVIR. ET DN. MARCHION-
BADENS. ARCHIATR. A CAD. S. R. I. N. C.
ET ITAL. RECUPERAT. COLLEG. C. P. CAES.
p. t. ACADEMIAE

PRO-RECTORIS

Dn. Promotoris, Fautoris atque Patroni Colendissimi

Pro
Otinendis rite summis in arte Medica honoribus
atque privilegiis Doctoralibus.

Solemniter differit


JOH. PHILIPPUS STETTER,

Nassau-Itsteinensis.

Ad d. 23. Julii M DC LXXXVI.

HEIDELBERGÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII, VNIVERS. Typographi.





Σ. Θ.

P R Æ F A T I O.



Am portentosa mortalium imprudentia est, ut dum ad mortis suæ memoriam expalle-
scunt, plurimi nihilominus seu occæcati,
proprii interitus sint molitores. In medium
modò producam, variam alimonii nostri
rationem, ubi alimentorum, quæ pro vita & sanitate su-
stentanda erant, abusu aut perverso usu nos jugularo
quasi & sanum ac longum vitæ terminum, insanâ dimetiri
gulâ amamus. Quæ quanta unicè dehinc scaturiant mala,
si hâc vice, impetratâ Licentiâ, generalibus saltem de-
monstravero, si non omnes, ferè tamen omnes, pri-
mos suos inde quod trahant morbi natales, mecum affir-
mabis. Juva Jehova!

§. I.



Er unam gulam omnes morbi! ingeniosè certè vel jam
olim Avicenna, exclamabat; Ut jam non tangam, sola
illâ vetiti fructus commestione, à Protoplastis nostris ad
universum mortale genus, transplantatam mortis neces-
sitatem, qua seros nepotes:

*Pauperiesque laborque fames & mille dolores
Et tota morborum acies comitantur euntes,*

inter alios permultos quoque, qui de morborum causis Medicè tractant, Doctus ille per ignem philosophus HELMONTIUS, tribus qs. at ingeniosis verbis TR. INF. NVTR. ad V. L. comprehendisse videtur quænam illa tot tantorumque morborum causa, quam propter etiam tam instabili ac infirmo talo, brevis nostra stat vivendi ætas, sit naturalis ac ordinaria magis, quando vitam sanam aut ægram, longam brevemque, pro indole seminis parentum, tum alimonii ac climatum bonitate, potissimum determinari, circumspectè ac præmeditatè affirmat. Et sanè primum in his meretur locum varia illa latissimè se extendentis alimonii conditio, cum & ab hæc in parentibus, ipsius seminis dispositio, & foetus jam in utero matris varia enutritio hinc determinatio characterque plus minus sanus aut morbosus dependeat, aër v. ratione climatum, vel secundaria vel particularis & aliquando saltem hujus vel alterus mali sit causa, salinas impuritates in humano corpore præexistentes & ab adsumentis dependentes, variè volatilifando, exaltando vel magis acuendo, ut pote miasmatis variis salinis, ☿ reis quandoque virulentis, sæpissimè infectus.

§. 2. Et cum vel ipsa vita, secundum celeberr: Etmüllerum Lipsiensium quondam lumen, *prax. part. 1. c. 15. fundamentaliter in sanguine radicata, formaliter v. per subtilissimam sanguinis substantiam, in pulmonibus & corde adjumento aëris volatilifatam & radiosa ac luminosa textura instar per totum corpus distributam, quam spiritus appellamus, se exerens*, primario legitimo alimentorum usu in sanguine sustentatur, ita & primariò ab eorundem perverso usu omninò læditur, vitiosâ n. alimoniâ, salinis istis humani sanguinis principiis variè occurrendo, hinc eadem sensibilibiter alterando ac sensim planè destruendo, cum sanguine & ipsa vita cur non alteretur corrumpaturque ac destruatursuccessu temporis vide etiam quæ *Deut. 12. vers. 23. Levit. 17. vers. 11. 14. Gen. 9. vers. 4.* exstant.

§. 3. Inprimis autem sanguinea massa artificiosa quædam particularum salinarum volatilium, acidi & alcali quæ vocantur nomine, cum medio fluido & nutritio, mixtura est, à perpetuo verò vivacique particularum harum sibi intimè contrariantium, atque non turbato naturalique motu, totius massæ sanguineæ maturatio qs. & perfectio, & motus ille progressivus seu circulatorius liber, & calor per totum corpus amicus, & spirituum puritas, & hinc omnium functionum naturalium

ralium harmonia , adeoque & ipsius vitæ ac sanitatis ei inhabitantis
continuitas primariò ac unicè ferè dependet.

§. 4. Cum ergò salinus hic vitæ liquor continuò in corporis vi-
tali conservacione absumitur, primariò autem legitimo alimentorum usu
in temperatâ ac naturali sua crassi conservatur, optimè & acutè San-
ctorius in *Stat. Med. aph. 1.* inquit : *Si quanta & qualis oporteat, quotidie
fieret eorum additio, quæ deficiunt & ablatio eorum quæ excedunt, sanitas
amissa recuperaretur & præsens semper conservaretur.* In quo certè, me ju-
dice, omnis & sanitatis & morborum consistit cardo. Si n. primigenis
istis ac seminalibus salinis nostri sanguinis & vitæ principiis seu funda-
mentis, proportionatum suum ac appropriatum, quotidie accedat re-
staurativum, incorruptam sanitatem perpetuò servari posse, vel per se
clarum est; sed & vice versâ.

§. 5. Atque hoc est, in quo ob densam nostram in physicis cali-
ginem, omnes ferè cœcutimus, ut, *qs. ineluctabile istud fati decretum,* in-
genioso Kenelin Digbeo *de immort. an. tr. 1. de nat. corp. p. 307.* notan-
te, *genus humanum in se ipsum exsequi velut,* modò videas permultos qui-
bus edere & bibere vivere ferè sit, plurimos verò alios, qui in quanti-
tate quidem peccare non videntur, appropriatam tamen addendorum
qualitatem non attendentes, adèd sub frugaliore quamvis diætâ, nihilo-
minus morbosos subinde experiantur insultus. Ut ætatum ordine pro-
grediamur, quomodo ob gravidarum in victu ἀταξίαν fœtus vel
in & ab utero jam ægrotet aut moriatur, qui ferè vixit nondum, brevita-
tis studio, hic sicco transeo pede. Doctiss. Ettmullerus, abstrusam il-
lam cùm aliorum malorum, tum inspecie variolarum ac morbillorum
necessitatem, perpulchrè ab unico vitio lactis nutrientis, quo tam in
quam extra uterum, tenellum enutritur, at vitioso acore inquinatur cor-
pus, derivat. Uterini quidem nutrimenti vitiositas, à perversâ ipsius
gravidæ diætâ dependet, at extra uterum, mirabundo meritò intuemur
oculo, qui matres jam *qs. ab ortu statim insidias mortisque commi-
nationes suis struant infantulis,* dum incautâ & incongruâ eorum ali-
mentatione, characterem perniciosissimum & continuam inurunt ad
varios morbos propensionem. Inter alia n. quibus tenella natorum
vita sustentatur ac sanitas, viscosa illa sunt pulmenta, ex lacte vel a-
qua & farina cruda in pastæ crassæ formam coctâ, certè difficilis diges-
tionis, ob tenacem farinæ talis crudæ, præcedanea quâdam fermenta-

tationē, non prius referatæ texturam, quibus de die ter, quaterve & semper ad summam gulam usque inferciuntur, copioso desuper ingesto lacte & ad quemcumque infantis etiam renuentis ejulatum repetito, unde priori crudo adhuc, subacido & nondum concocto in stomacho hærente, novi super ingesti necessaria grumescentia, caseatio, ac utriusque in pastam acido viscidam corruptio succedit, origo morborum infantilium tantum non omnium, & unde tot nonnunquam morborum suscipiunt semina, quæ per totum deinde vitæ curriculum, levi datâ occasione, morbosa sua exerere solent spicula: *vid. passim Ettmullerus nos- ter*, ex fonte hoc infantiles morbos tam internos quam externos, pluribus deducens, *in Valet. Inf.* quo & brevitatis causa L. B. transmitto, *vid. etiam Helm, l. f. c.* Tam graviter luunt tenelli matrum imprudentiam.

§. 6. Et eandem etiam aduulorum agnoscunt morbi matrem, vix n. affirmare auderem, vel unicum exactam instituere posse victus rationem, partim ob ignotam aut potius ignoratam salinam sanguinis sui, à primordiali tam uterina, quam infantili alimentatione ac seminum parentum constitutione dependentem idiosyncrasiam, adeoque & accuratam, h. e. non tantum in quantitate sed & qualitate legitimam deficientis aut plus minus aucti, hujus vel alterius principii, homogeneis aut contrariis restaurationem & correctionem; partim ob gulæ monarchicum regimen, quæ rotunda sæpè cum quadratis, acida, pingua, acrida, dulcia, salsa, dura, glutinosa, cruda & alia manifestioris saporis quæ sunt, unâ nonnunquam mensâ, ob varietatem quæ delectat, aut aliâs etiam inordinatè, ingerere solemus, modo è *ύσωμα* fuerint, parum attendimus an è *ύσομαχα* semper sint. Bibitur tunc, rebibitur supervenit poculum hilaritatis, tandem etiam somniferum uti vocant *ein Schlafrüncklein oder Johannes- Segen* / quæ sanè postea in tristitiæ & re ipsâ morbifera degenerant pocula. Id quod cum Bruyerino *de re cib. l. 16. c. 2. de siti* meritò miramur, qui soli omnium animantium homini, quanquam prudentia, rationisque capacissimo, sine siti bibere usque venerit. Et ubi finis foret, si prodigiola illa obsoniorum genera, quæ delicatula passim comminiscuntur ingenia, recensere vellemus omnia.

§. 7. Hoc autem plerumque evenit, cum unumquodque menstruum debitam requirat proportionem in quod agat, ut copiosa talia &

varia

varia ingesta , dum succus ventriculi , menstrualem suam energiam à spiritibus animalibus (qui ipsi etiam variis modis v. g. nimia venere, lucubrationibus, aut aliis operosis statim à pastu susceptis negotiis, &c. insigniter à primâ digestionem averti possunt) obtinens , impar est, tantæ massæ resolvendæ, penetrandæ , hinc volatilifandæ , & ob ingestorum varietatem, magis feratur in hoc quam illud , in liquamen necessariò abeant, subcrudum , h. e. corpori humano minus appropriatum, plus minus viscidum, pro assumptorum qualitate ac faciliori corruptibilitate variante, modò acidum, fixum, modò putrilaginosum, acre, oleosum, rancidum, quoad ventriculum vero vitiato ita arduo primæ digestionis negotio, fundamentum ponatur innumeris malis, etenim

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu — — — — —

Continuoque nova superingesta alimenta, si non modica ac medicata fuerint, semper in similem corrumpuntur pastam, (impura corpora quo plus nutriveris eo magis læseris) pro sanguinis verò & consequenter ipsius vitæ refectione ac restauratione succus suggeritur crudus, recrementosus, modò serosus modò acidulus, modò acris, putridus, & sic tandem vel invalescunt sensim hostiles morborum myriades, vel ad minimum tamen alteratis sanguinis principis, hinc eclipsatis spiritibus, ad vitam disponimur paulatim fragiliorem, imbecilliolem, imò breviorlem, communicando tunc labem eandem ipsis etiam natis, ut Adam generet filium sibi similem.

§. 8. Scias tamen imprimis pro assumptorum innumera qualitate ac ut dictum, corruptibilitate variante, partim & utendi modo, tum & idiosyncrasia cujusque diversitate ac fibrarum stomachalium nervosarum robore, has & alias cruditates seu cacochylias, variare. Sic adsumta, nunc acida qualia panis vitiosus, vina præsertim horta ista, quæ multum adhuc acidi fæculenti tartarei minus subacti continent, infumata, muriata ac sale condita, utpote de spiritu salis ac fuliginis acido multum participantia &c. &c. acidum quoque facilius subministrant succum, fixum plus minus viscidum; sicut acria, oleosa pingua, aut promptè aliàs putrescibilia in stomacho paulatim putrescendo, chylum suggerunt nidorosum, acrem, valdè malignum.

Quoad

Quoad utendi modum, in hoc notanda est imprimis masticatio, ubi permulti vel dentium vel salivæ vitio, plurimi vero alii vel nimium festinantes aut famelici, vel vagabundis demersis cogitationibus &c. non sufficienter aut exacte satis masticatos ac colliquatos deglutiunt cibos, quos ita semimansos, nullum dubium est, ventriculum gravando, insignem etiam si non primam ad cruditates ansam præbere, dum eadem forma iterum etiam excerni soleant. Pertinet huc inordinata illa ciborum assumptio, quando priori nondum digesto novum superingerimus, & quæ sunt alia in legitima victus ratione requisita. Quoad idio syncretisiam & hujus habenda est ratio. Sic in quibus ob serum prædominans, glandulæ & stomaticæ & stomachicæ, intestinales, tum & lymphatica vasa, suam copiosè affundunt lympham, accedente præprimis potu excessivè nonnunquam adsumto, in iis certè chylus suppeditatur valdè serosus, & sic in aliis subjectis, quorum sanguinea mixtura gaudet vel acido vel alcali nimis, præternaturalibus. Quo tandem facit ventriculus robustioris vel tenerioris texturæ, vel labefactati toni, sicut ob laxatas & debilitatas ejusdem fibras, ingesta nec comprehendi, nec constringi, nec debito calore foveri possunt, *secund. Franc. Piens de febb. p. 49.*

§. 9. Hæ itaque cacochylæ, in genere ita determinatæ, acidæ, alcalicæ & serosæ, pro Sæ. Mæ. restauratione advectæ, ac in eadem sensim cumulata, quot & quantorum damnorum authores possint esse, te ipsum; L. B; ne ingenio tuo diffidere videar, judicare permittam. Ut paucis tamen rem explicem, quoad acidum, hoc nunc viscido implicatum, (sicut ipsa humorum viscedo ab acido coagulante est) in primis viis suas ludere solet tragædias, nunc verò vehiculo potulento, liquido, ulterius distributum, per alia remotiora loca se se explicans, mille malorum fœcundus existit genitor. scil. vel p. n. fermentando, vel coagulando, vel atrodendo, hinc irritando, convellendo & spirituum impetum provocando, in primis ab aëre sensim plus minus volatilisatum, sanguinem scorbuticum reddendo, temperatam ejus crasin pervertendo, bilem vitiosè acuendo, lympham exasperando, & tandem ipsos spiritus inquinand. Quoad alcali acre, nidorosum, rancidum, sicut ab acido potissimum chronici, ita ab hoc acutissimi, valdè maligni, quatenus à bilis alcali & alcalicæ insuper

insuper hepatis tinctura, circa cordis confinia additâ, plus minus accelerantur, magis quoque minusque vehementes, dependent. Declarat hoc Doctiss. noster Etmuller. p. I. prax. p. m. 86. *Obtuso adsumtis ejusmodi fermento seu spirituofo, vitali ventriculi vigore, eadem ob deficientem spiritualisationem, corpori humano minus appropriata, mixta cum bile miscela, saporem contrahunt acrem, qui partim intestina irritans, variarum ibi turbarum, puta diarrhœarum, choleraarum &c. existit auctor, partim v. chylum salsa hac acrimonia inquinando, ad M. S. delatus, eam resolvit & qs. liquefacit, ut hac in textura sua fatiscens, sensim in serosum salsum liquamen plus minus deficiat, quod cestè absque summo vitium & vitæ detrimento, vix fieri potest, id quod confirmat Excell. Wedelius de Med. fac. p. 14. Notabile est & acida & lixiva, si per venas sanguini infundantur, intermere hominem, illa coagulando, hac sanguinem nimis dissolvendo. Tandem quoad serum, hoc præsertim etiam occultè acidum, vel sanguinem nimis diluendo, vel glandulas copiosius inundando, catarthaliū & aliorum morborum variorum est faber, & quæ plura hic possent produci.*

§ 10. *Quamvis vero jam animus esset, speciatim hæc omnia prosequi & cujusq; morbi hinc in tribus digestionum regionibus oriundi rationem pluribus enucleare, quia tamen in Etmullerianis hoc jam est peractum scriptis, operosiori pathoscopiæ supersedeo, contentus hæc vice primariam tot, si non omnium, plurimorum tamen certè, morborum, puta intus genitorum, causam, focum & primordiale rationem indigitasse, videlicet irregularem seu imprudentem alimentationem ventriculum cacochymicum & hinc scaturientes cacochylia acidam, alcalicam & serosam, quibus applica omnia nunquam satis laudati nostri Etmulleri scripta Theoretico-practica, quæ utinam ab ipso auctore communicari nobis, fata sivistent.*

§. 11. *Vides igitur quàm alimentationis ratio latè se extendat. At verò in tam artificiosa principiorum nostrorum harmonia reficienda ac conservanda, quanta qualis igitur instituenda sit additio, tum & excedentium ablatio, res est, paucis non ita declarabilis. Hodierna nostra Hygeia, subtiliorum ingeniorum industria nonnihil illuminata, eò pro viribus allaborans, ut quantum possibile eradica-tâ dyscrasiæ primordiali minera, sensim constitutiva sanguinis ac vitæ nostræ principia, ad primigeniam redeant crasin, quoad diætam ad hujus vel alterius principii in nobis exorbitantiam respiciendo, similia*

fimilibus seu temperata temperatis conservare, contraria contrariis corrigere præcipit, si quid nimia mensa peccatum est, sequentis mensæ frugalitate compensare, dein non satiari cibus & impigrum esse ad labores, ex HIPPOCR. TIMÆUS van GULDENKLEE *in epist. p. 277. 439.* Quoad Chirurgiam, ordinat sanguinis missiones, scarificationes, hirudines, fonticulos &c. Ex pharmacia v. de-
promit ipsa tandem medicamenta vel **Alterantia** vel **Evacu-**
antia.

§. 12. ALTERANTIBUS utitur pro salina vitiosorum humorum ametria corrigenda. Sic p. naturali in nobis acido consultò oppo-
nit vel alcalia, h. e. Omnia ☐sa, naturalia quam artificialia, lixivata,
fixa quam volatilia, ut ✻cum, & ex hoc ppta, ☉ ✻ci simpl. vel
aromatizat. anisat. terebinthinat. succinat. ☉ absinth. cent. min. C. B.
C. C. volat ☉ CC, liq. CC. succinat. ☉. vol. succin. viperar. ☉ ☉ri,
præsertim volatilifatum, ☉ volat. oleos. Sylv. vel illud JUNKEN *in*
Med. pras. sec. accomm. ex ☉ ✻ci ℥j. Sp. v. rectific. ℥iij. ol. mac.
℥ij. Digerendo, circulando ac cohobando inseparabiliter conjunctis,
paratum &c. vel simplicia aromatica, amara, acria, oleosa, ut aro-
mata, herbas, rad. communiter antiscorbuticas dictas, vel temperan-
tia, dulcia, oleosa, ut amygd. pistac. sem. 4. frig. maj. & hujus ge-
neris alia. Sulphura metallica ceu polychresta, quibus correctis, se-
cundum HELMONT. *tota morborum cohors auscultat*, ut ☉ ☉ris,
HELM. de quo POLEMANN. quædam protulit *in Lum. Med.*
Sulph. ℥ij. verum, Sulph. Vitriol. KNOEFFELII. Sulph. Glauræ Au-
gurelli. Item ex Cinnabari aut ☉ ppta, ut oleum anti hypochondr.
Rhenani ex sacch. Huius cum quo convenit Tinct. antiphthis. MI-
CHAËL. Aroph PARACELS. seu liquor. hæmatit ap. ZWELF. &
POLEMAN. &c. vel polychresta illa absorbentia remedia dicta, ut va-
ria Terres, corall. lap. 69. inprimis ☉lia, ferrum solub. Willis, croc.
saccharinum ☉tis &c. *vid. plura ap. ETTMULL. de præcipit.* quibus
pro re nata scitè jungit Opiata, quæ ipsa etiam acidum dolorificum
& fermentans, temperandi & ferocem orgasmum ac inde natum
spirituum impetum, sistendi vim obtinent, & varia sunt. Pro vis-
cido

ido incidentia & abstergentia, ut \ominus salsa, ♀ ea omnia, herb. rad. aromat. acres, gummata, ammon. galb. mastich. aloë & ex hâc ppta. Ob singularem hujus, ventriculo amicissimum balsamum, pilulas vidi quosdam arcanas ad sanitatem & vitam longam conservandam ex aloës epat. ʒj . myrob. cl. ʒvi . croci opt. ʒij . pulverificatis & vino malvat. irrorat. instar pisi formare, & in septimana bis pro lubitu, duas pro dosi adsumere &c. Præter naturali v. alcali, nidoroso, bilioso, acida, ut clyst. mineral. ♁ acidulos volat. ♁ Sulph. Spirit. Vitrioli, in specie Nitrum & Nitrata, ceu specifica Spirit. Nitr. dulc. Nitr. ♁ tum, Nitr. Vitriolat. seu arcan dupl. succos rib. berb. citri, passulas, serum lact. quod secundum Ettmul. in prax. p. 1. p. 23. Nitro volatili turgidum, in siti februum, salibus quibuscunque acribus corrigendis ac per urin. expurgandis, alvoq; simul aperta servanda excellens est.

§. 13. EVACUANTIBUS v. tandem, ipsam radicem evellere conatur, qualia sunt, vomitoria, purgantia, diaphoretica, diuretica. Et certè quoad vomitoria & purgantia, cum mali focus plerumque, ut in antecedentibus demonstratum, in ventriculo & primis viis hæreat satis appositè Ammannus in *manud. ad Mat. Med.* p. 46. inquit: *Quis enim putaret, medicamentis vomitoriis atque purgantibus alexipharmaci titulum denegari posse, dum enim purgando, humores venenosos extirpant, an non alexiterii vicem præstant?* Diaphoretica massam sanguineam resolvendo, ventilando, præsentissima sunt remedia ad salia quævis agrestia & vitiosos sapes qui sanguinem jam inquinant per poros eliminanda. Sunt vel interna, ut varia passim nota, salia, theriacalia, bezoardica, ♁ lia, ♀ lia fixata; vel externa ut suffitus, sellæ laconicæ, balnea vaporosa, &c. fol. alni ap. Borell. C. I. obs. 35. fol. bardanæ rec. leniter conquass. plantis pedum aut aliis etiam locis imposta, pro sero extrahendo laudata. Inter diuretica excellunt Therebinth. & ex hac ppta Sp. \ominus dulc. Sp. junip. malvat. junip. liq. ludi Parac. vid. Charleton. *de Lithiasi* p. 230. Sp. calc. viv. Basil. it. ol. per deliq. ex salibus lapidum Lazuli, judaici, ♁ rum, calcinator. cum ♁ petrosel. extractis ad gtt. aliquot in Spir. junip. exhibitum, & quæ sunt alia adhuc permulta

Atque

Atque hæc pauca sunt, quæ in tam arduis vel voluisse non hæc vice sufficiet, sat scio equidem, limatiore paulò & accurati calamo expediri hæc potuisse, verùm cum dies semper majora r soleat docere, & partim certas ob rationes, festinandum mihi esse partim & disputationis terminus respiciendus, hic lubuit facere nem, tribuendo

Soli Deo Gloriam.

COROLLARIA.

- I. **D**atur Medicina si non universalissim
universalis tamen seu polychresta.
- II. Transmutatio metallorum non est non e.
- III. Non datur perfecte sanus.
- IV. Causam cur cruditas acida sit frequentio
tribuo pani & potui.
- V. Diæta exacta certo respectu plus prestare
test, toto pharmacopolio.
- VI. Vomitoria, purgantibus, in eradicand
radice morbofa, sunt feliciora.

F I N I S.